



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

366. Qualiter terminetur & compleatur scrutinium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

3. Tertio, si duo tantum sunt Electores, nec hi habere teneantur, aut possunt scrutiniis leges, sed possunt publicè inter se eligere, Tuscus *lit. E. concl. 71. & 78. Lavor. c. 19. n. 58. Pass. n. 72.* si enim eligere possunt aliquem extra Collegium, si enim non, scrutinium semper erit inutile; cum quisque eorum legeret alterius schedam, & sciret electionem illius non minus ac si voce facta esset. Porro ubi extraneum eligere non possunt, poterit fieri electio valida. *Peir. to. 3. c. 13. n. 19.* ubi nimirum unus ex illis renunciat voci suæ activæ, & sic ab altero nominatur, *Pass. loc. cit. Sigism. dub. 23. n. 5. Samuel de elect. tr. 1. d. 3. contr. 8. n. 7.* ubi tamen speciali statuto vel consuetudine statutum, ut quis nequeat vi renunciationis vocis suæ evadere electus, devolvitur tunc in dicto casu electio ad Superiorem, qui tamen non nisi unum ex istis duobus promovere poterit. *Navar. de elect. cons. 6. n. 4. Sigism. & Pass. loc. cit.*

4. Quarto: si tres tantum sunt Electores, nec hi servare possunt leges scrutiniis, dum extraneum eligere nequeant, quocumque enim modo fiat, vota eligentium toti capitulo erunt manifesta, ut bene ostendit *Pass. n. 73. contra Sigism. loc. cit. n. 2.* Idem est in scrutinio auriculari, etsi extraneum eligere possint, ut patet, tunc tamen in scrutinio per schedas (ubi fortè ad illud ex speciali statuto teneantur, cum ex vi *c. quia propter.* aut Concilii Trident. ad istum scrutiniis modum non teneantur. *Pass. n. 74.* forma dicti capitis servari potest, ac debet; licet enim & tunc, nisi Electores in scribendo ordinarium suum scribendi stylium seu characterem valde mutant, vel manu alienâ scribant schedas suas, impedire nequeant, quin singuli aliis duobus, adeo que toti Capitulo innotescant; quia tamen sic sua nomina occultare possunt; nihilominus tenebuntur ad leges scrutiniis. *Pass. loc. cit. Lavor. c. 19. n. 59.*

Questio 366. Qualiter terminetur & compleatur Scrutinium?

Respondeo: per hoc, quod scrutatoribus vel omnibus eligentibus auditis, & omnium schedis lectis, vota omnium scripto adnotarint, distinctè que scripserint, à quor. unusquisque Electorum nominatus fuerit,

PARAGRAPHVS X.

De publicatione Scrutinii, & Electione communi.

Questio 367. Quid faciendum post completum scrutinium?

Respondeo: illud mox publicandum. *c. quia propter.* Ita ut mox importet exiguâ moram temporis, vel potius, quod publicatio fieri debeat in continente, nullo actu extraneo interveniente. *gl. inc. quia propter. ibid. Barb. n. 25. Lavor. loc. cit. n. 82. Miran. to. 2. q. 23. a. 29. Pass. c. 19. n. 2.* De cetero ubi mora illa à jure vel consuetudine (cui aliàs standum) determinata non est, verificanda ista dictio mox ad arbitrium iudicis, habito respectu ad circumstantias, *Lavor. Pass. loc. cit. Tusch. l. d. concl. 311. Sigism. d. 36. n. 4.*

Quest. 368. Cui, à quò, qualiter, & quâ necessitate faciendâ hæc publicatio?

Respondeo ad Primum: Capitulo congregato; id enim intelligitur per verba illa *cap. quia propter. vota redactâ in scriptis mox publicent in communi, & c. Sylv. v. electio 2. n. 9. ex Archid. Perinde autem est, an ibi tunc etiam simul adfint extranei. Pass. n. 4.*

2. Respondeo ad secundum: ab uno Scrutatorum. *Suar. to. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 5. num. 15.* cum communi, illo nimirum, qui est inter illos primus, vel qui ex illis à Capitulo ad hoc electus, vel per statuta particularia, aut consuetudinem deputatus fuerit. *Pass. loc. cit.*

3. Respondeo ad Tertium: dicendo v. g. *habemus Prelatum: nam cum essemus decem, Titius habuit sex vota, Cajus duo, Sempronius unum, & unum votum fuit album, vel incertum & inutile;* sic enim vota determinatè describi & distribui debent, ut capitulum sciat, qualiter ad electionem procedere possit. *Abb. Pass. & alii passim cum communi.*

4. Respondeo ad quartum: publicationem Scrutinii factam in communi esse de substantia & forma electionis. *Abb. Host. Jo. And. ad c. quia propter. Miran. Suar. Lavor. loc. cit. Pass. n. 3. & apud illum Castel. Donat. Tamb. & c.*

Questio 369. An, non obstantibus verbis istis c. quia propter: Vota mox publicentur, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto: possit appellari à scrutinii publicatione?

Respondeo primo: antequam, vel etiam postquam vota redacta sunt in scriptum, usque ad illud momentum, quo publicandum scrutinium, locum habet appellatio, & suspendit; dum nimirum volenti intra hoc tempus mutare suum votum, id denegatur, potest is potestari contra istam denegationem; & à futura publicatione scrutiniis appellare, si fiat eo non permisso mutare votum suum. Similiter si Scrutatores ante completum Scrutinium (quale est dum vota finaliter redacta in scriptum, nullo apparente, qui mutare velit votum) vellent illud publicare, meritò Electores contradicerent, & à tali publicatione appellarent; & huic appellationi citatus textus non est contrarius; supponit enim Scrutinium finitum, quo finito, vi dicti textus non licet appellare à publicatione Scrutinii, & facta fortè appellatio est rejicienda. *Pass. num. 5. Biach. p. 2. c. 29. n. 1.*

2. Respondeo secundò: post publicatum Scrutinium, si Scrutatores omnes, vel etiam duo eorum, concordent in Scriptura; quæcunque appellatio contra Scripturam rejicienda, & ad electionem eorum procedendum. *Pass. n. 6.* ubi etiam mœnet, nullatenus publicandum Scrutinium dubium, ita etiam, ut si Scrutatores discordes (intelligens omnes) publicent scrutinium, illud tanquam nullum sit iterandum. Adeoque Scrutatores discordantes in scriptura, priusquam publicent scrutinium inter se convenire debere, ut concordent, saltem duo illorum, iterum legendo & conferendo schedas, vel si scrutinium fuit auriculare, revocando ad scrutinium unum vel alterum, de quorum votis fortè est dissidium; quòd si est implicite nullatenus publicando nominatos in scrutinio; debere illos illud curare iterari.